

PROOEMIUM AUCTORIS
AD LECTOREM.

Candide & Benevole Lector.

Quam Nobilissima Ars Medica à falsis Galeni dogmatibus corrupta extet, non ignorat præsens Medicinæ Status, qui fragilibus sanè inicitur pedibus; Et nisi post Hippocratem & Helmontem hodierno die conscientiosi alii, & veræ Medicinæ cultores addidissent robur, ad circulatores planè & Medicastrorum nobilissima hæc ars abiret.

Sed audimus plangentem Medicinæ præsentis statum, fœcundos hos veræ Philosophiæ cultores, per incultum asparumque Medicinæ campum, diffusos existere nimium; Et tenaces Galenicorum mentes Opinionibus suis perversis, quibus à teneris imbuuntur, cum pertinacia inhærere, adeo in alios, qui laudabili conamine ex Democriti puteo veritatem eruere corantur, omnibus viribus persequi non erubescant.

Hæc misera suarum Authoritatum mancipia, procis illis apud Homerum similia sunt,

AD LECTOREM.

Qui derelicta Penelope deperibant ancillas. Sic & hujus farinae Medici, neglectâ rerum Dominâ, verâ Philosophiâ, cortices pro nucleo, Symptomata pro vera causa & rei interna Effentia servant, nec quicquam rectum putant, nisi faciunt ipsi.

Quantos verò hi committant errores, ab Hippocrate discant, qui per *tò EST, & NON EST*, nobis concessit de naturalibus statuendi & inquirendi libertatem, sufficienter edoctus, nullam Hominis mentem omnis esse perfectionis capacem, cum nulla adhuc dum Ars suum cognoverit finem.

Sed quamvis id felicitatis fastigium me attigisse minimè opiner, ut Naturæ Opera verè & ad amussim delineatim; nihilominus cum Narcisso venatum eo, *non ut junior mea mihi arrideat forma*, sed ut vera naturalium rerum constitutiva, & veras morborum & cognitiones, & horum profligationes, in Democriti puteo demersas, cum aliis veræ Medicinæ cultoribus eruerem.

Hinc præprimis in abstrusioribus, opinandi licentiam (hanc enim malo, quam ad occultarum qualitatum turpe confugere asylum,) veritatis ergò susceptam, nec etiam Viris Juvenibus male verti posse arbitror, cum in proximi salutem unice directâ sit.

Insurgunt

AD L
 Insurgunt quide
 sepis contra Junio
 gillando eosdem &
 hinc ac si nulla in
 at error illos man
 quod acumen inge
 tante Experientia
 centatur; & quon
 si non possunt rei
 morte præservare
 moribus partip
 Experientia amb
 his Excell. Anna
 Parzenh
 Sed si ex proce
 cum vellems dice
 RITES, quarum in
 dem sine GRATIS
 se religio erat.
 At cum nobis hic
 fido non inest
 ptam duco Quæst
 Givi. Nosteriorum
 præsupposita amplio
 quam plurimi alii
 Givi. (sepis Exper
 indurati? Pro affir
 stabit Junior Atlas
 Neque Regneris de C

AD LECTOREM.

Insurgunt quidem *Seniores Galenici Iurati* sæpiùs contra Juniorum existimationes, fuggillando eosdem & traducendo contumeliose, ac si nulla in eos caderet *Experientia*: „at error illos manet. Et sciant quæso illi, „quod acumen ingenii decrepitæ & depon- „tanæ *Experientiæ* longè præferendum „censeatur; & quamdiu tales *Palæo-Practi-* „ci non possunt resuscitare mortuos, vel à „morte præservare ægros, tamdiu *cum Iu-* „nioribus paripassu *Dignitatis, Honoris, &* „*Experientia* ambulabunt. Sicuti blanditur his *Excell. Ammannus* in suâ ad discentes *Parænesi*.

Sed si ex professo Juniorum panegyricum vellemus dicere, advocarem *CHARITES*, quarum insigne *CHARITAS* est, siquidem sine *GRATIIS* coram Diis comparuisse, religio erat.

At cum nobis hic res sit cum iis quibus falsitudo non inest, non luxuriantem nec ineptam duco *Quæstionem*: *Num Iuniores Practici Neotericorum veris Principiis instructi, præsupposita ampliori Praxi, plus præstarent, quam plurimi alii simplici suo Galenismo additi, & sæpius Experientiâ sint ratione & iudicio imbuti?* Pro affirmativa non unus nobis adstabit Junior *Atlas Wedelius*, sed etiam *ten Rhÿne Regnerus de Grâff*, & infiniti alii.

AD LECTOREM.

Hæc verò in Cl. Seniorum Medicorum reprehensionem non effundo, nam nimis parva mens est, ut in errorem labile iudicium his se implicet, verum eos in genere monstrosos impugno *sciolos*, quorum impudentia eò processit, ut etiam Eximiorum Virorum in summis quæstionibus tuta dubitatio, (nam se nil nosse confidebatur *Socrates*, dubitabat *Carneades*, deliberabat *Pjrrho*,) haud suspenderit eorum Iudicium, quin *Neotericorum Medicamina Chymica*, etiam propria manu elaborata, *NON VIRI BONI REMEDIA* exclament. Sed sciant hi, *Calumniari non esse sectari veritatem*: Hoc enim si consulto perpenderent, cessarent peccare contra Christianismi principaliorum regulam, *dilige proximum tuum*.

Sed canibus similes sunt tales absurdi Commentatores, qui, simul atque eorum unus locum aliquem perminxit, statim omnes alii in eundem locum enixè commingunt, *nescire volentes se honorem nobis detrahendo*, & apud Vulgus nos denigrando *fures agere execrandos*.

Plures ridiculas multorum aliorum recitare ineptias, animus non est, sufficiat, obiter saltem indicasse, quam malè suis consulant ægrotis, cum ex Pharmacopoliis præscribunt Medicamina, præsertim Chymica, quæ

AD LE
 esse an iuste, an male
 plene laet: Eadem
 trarum fundamenta
 bouz eligere, m
 ven circulatorum
 rum eligendorum
 Pharmacopois
 adhibent fidet ut M
 ac Experientia nitro
 fabricationem prob
 lem e Mundo Medi
 rant, quem adhoru
 te debent.
 At ecce lintre p
 calen rades has
 spergo, omni & Mo
 to, cum pro Argon
 Nomen, pro Duce re
 edus Hippocrates.
 Wedelius, ten Rho
 acutissimi ac ingeni
 dem mecum pro
 Medicum Practicum
 dandum naturalem
 Mepham, qui super
 bus nondum præco
 bazam amplecti ha
 firam naturam tem
 in lab vrbus Chym

AD LECTOREM.

quæ an justè, an malè præparata extent, ipsos planè latet: Eadem verò à Medico, rerum harum fundamentaliter perito, candidè elaborata eligere, maximè trepidant. En levem credulitatem! En titubantem remediorum eligendorum cognitionem!

Pharmacopœis ut plurimum imperitis adhibent fidem, at Medicis à ratione pariter ac Experientia instructis, Medicamentorum fabricationem prohibitam volunt, sicq; Solem è Mundo Medico tollere studio laborant, quem adorare potius cum Hippocrate deberent.

At ecce! intrepidè pergo, & ut alter Deucalion rudes has & indigestas pagellas dispergo, omni & Momo & Osore posthabito, cum pro Argonauta mihi sit ipsum D. Numen, pro Duce recta ratio, & pro Comitibus Hippocrates, Helmontius, Sylvius, Wedelius, ten Rhyne, Ettmüllerus, & alii acutissimi ac ingeniosi Viri Medici, qui eandem mecum profitebuntur sententiam. *Medicum Practicum præsentì seculo accommodandum naturalem & verum debere esse Philosophum*, qui superbis Antiquorum erroribus nondum præoccupatus, veritatem illibatam amplecti haud recuset, nec Magistram naturam temerè aversetur, sed eam in laboribus Chymicis, Praxique præsertim

AD LECTOREM.

Medica rationabiliter observet, ne postmodum cum irreparabili ægrotantium deliquio periculosè aberret.

Hæc NATURALIS & vera PHILOSOPHIA, NOBILISSIMA EST CHYMIA, ad cuius, sicuti & universæ artis Medicæ vera penetralia penetraturo binæ hæ summè videntur necessariae Columnæ: RATIO & EXPERIENTIA. Sed Ratio Experimentiæ, & Experientia Rationi non contraveniat. Sunt enim, qui Rationem Experimentiâ destitutam amplectuntur, ut illi, qui dies, sæpius etiam noctes consumunt in Chymericis suis rerum causis indagandis, luxuriosè fingunt ideas Novi ORBIS producendi, Columbi instar, & se officio suo optime defunctos esse arbitrantur, si fingendis suis speculationibus avidius incubent, & non tam circa nucleum rerum, quàm earundem exteriorem corticem steriles oberrent.

Sed quàm inepta hoc modo est Ratio, Experimentiâ neglectâ, tam enervis est Experientia sæpius, ratione posthabitâ. Promptum nobis exemplum suppeditat coquus. Hic miscet Aquam, Salia, Carnes, & igni apponit, de operationum & effectus ratione parum sollicitus: Pari modo hi rationibus spretis, ineptius miscent sua Salia, Mineralia & Metalla, & agunt aliquid, quid verò agant, omni-

AD L
 omnino ignorant.
 dicemus, & Expe
 hoc verò non suffic
 sicut oportet emere
 sicut et ut dicitur impo
 et, sicut DEO: ut gravi
 Adeptorum non imo
 Hic ergo, B. L. Da
 nervus, quo decente
 gandos morbos lab
 centralia & genero
 qui Medicus Aru
 bilem gravitatem
 Sed ecce hunc
 hunc vetulis con
 ram, quod tota fere
 imia ancilletur, &
 dicos contemptus e
 Est præterea Arab
 lis, & omnis hæc co
 riam, quam Praxia
 meris fere innicitur
 bus, cum autopsiâ d
 præterit seculo, pr
 teris, est Medicorum
 efficaci baculo, quo
 munt, insandum t
 aliter ac pueri, qui
 cecis in tenebris m
 habitant.

AD LECTOREM.

omnino ignorant. Ratio itaque, ut toties inculcamus, & Experientia conspirent. Ad hoc verò non sufficit terere libros, *sed insuper oportet emere carbones & vasa, ac insomnes ex ordine impendere noctes, sic feci, sic dixi, laus DEO! ut graviter sentit van Helmont Adeptorum non infimus, de Febr. c. xv.*

Hic ergò, B. L. Dædaleæ dextræ fortior nervus, quo decenter adhibito, vera ad fugandos morbos Instrumenta fabricantur, centralia & generosiora puto Medicamina, qui Medicus Arti suæ Authoritatem & amabilem gravitatem conciliare verè poterit.

Sed ecce hunc ministris concrediderunt! hunc vetulis concesserunt: unde non mirum, quod tota ferè Ars Medica dicaci loco irrita ancilletur, & in optimos ferè Medicos contemptus emanet.

Est præterea Ars Medica ferè conjecturalis, & omnis hæc cognitio, tam circa Theoriam, quàm Praxin internorum morborum meris ferè innititur conjecturis & opinionibus, cum autopsiâ destituamur. Misera ideo præsentis seculo, præprimis in his nostris terris, est Medicorum conditio, qui projecti efficaci baculo, quo jam alii expeditè innituntur, infandum trepidant & titubant, non aliter ac pueri, qui mormolycia lamiasvè cæcis in tenebris metuunt, quid agendum, dubitant.

AD LECTOREM.

Talia autem Fata subeunda sunt, si rerum abjicitur nucleus, & cortex abjicienda servatur, rudioribus verò Pharmacopœis, tonsoribus, & exinde circulatoribus, imò & carnificibus ad artem hanc Nobilem profanandam fores & portæ recluduntur.

Sed hoc inter alios acutius trutinavit *Ioannes Albertus Wimpineus*, Archiater Bavaricus, qui compositionem Medicamentorum necessarium suæ professionis esse requisitum, nec ullo modo sejungendum verè duxit, cum intrepidus efficaciter inquit: *Cur nos Medicamina ipsi consciamus, multa sunt, & quidem graves cause, inter quas precipuas enumerare libet: Prima est desiderium in nobis arcana cognoscendi, cum enim Philosophiam profiteamur, quæ obscuras rerum causas, nateras & effecta explicat, ac cum quibus res aliqua sÿmbolum habeat, aut discordet, monstrat: Turpissimum fore arbitrati sumus, si aliquid eorum ignoremus, quorum cognitio maximè ad Philosophiam pertineat: Cujusmodi sunt Metalla, Mineralia, Lapidés, Animalia, & cætera producta. At, si quis est, qui horum Naturam se perspexisse affirmare ausit, ac nesciat, ex quibus & quot rebus ista constent, quod cum nunquam cognoscatur sine totius in partes Essentiales analysi, non verbali, sed reali: hæc verò cum tantum pyrotechniæ adminiculo perficiantur, patet,*

AD LE
 præcipuum Medicam
 non explorare debere.
 are vgetar, quibus
 rit, quæ sunt turpiss
 diu ab Hippocrate fact
 vero demeretur.
 Et hoc tam verum
 nos in re Medicæ loc
 legimus nec veri præ
 cum eorum decim
 teritale compen
 Medicamentorum
 quidem quo tempore
 dum Medicis fuit ne
 nere, ut pluribus
 des monuit Renalim
 tionum præratione.
 posse hoc dispensand
 deetur fertis Licet
 rareret, quibus ob
 datur tempus in
 nobilibus Medica
 trando efficaci in mo
 no effectu.
 Considerandum t
 tæro seculo pluribus
 nobilibus Experimen
 ta nobilitata sit, quan
 tibus? At certe non

AD LECTOREM.

patet, ipsum Medicum per ignem Naturas rerum explorare debere, ne, si pharmacopæus credere cogatur, quibus & Qualibus utatur, ignoret, quod sanè turpissimum illi foret, cum in Medico ab Hippocrate scientia desideretur, opinio verò damnetur.

Et hoc tam verum, quàm verissimum, nos in re Medica nil certi observare, nilque legitimi nec veri præstare posse, ut maximo cum ægrorum detrimento & miserabili interitu sæpè comperimur, si præparationem Medicamentorum aliis subministramus. Si quidem quo tempore Pharmacia à quibusdam Medicis fuit neglecta, in pejus omnia ruère, uti pluribus suo tempore gemebundus monuit Renealmus, in suarum observationum præfatione. At leviter refundi posset hoc dispendium, si iis modò concederetur fertilis Licentia, nec persecutio eos terreret, quibus ob praxin adhuc ratiorem datur tempus insumere in ipsis indagandis nobilioribus Medicaminibus, pro impetrando efficaci in morbis maximis & legitimo effectu.

Considerandum tibi sisto, B.L. annon hoc nostro seculo pluribus gravissimis & inæstimabilibus Experimentis Ars Medica augustè nobilitata sit, quàm elapsis multis retrò seculis? At certè non ex Galeni Volumini-

bus,

AD LECTOREM.

bus, quæ cimmeriis Medicam artem intricaverant umbris; sed ex industriis pyrotechniæ, & Anatomiciæ indefessis laboribus Virorum Nobilissimorum *Helmontii, Sÿlvii, Willisii, Michaëlis, Wedelii, &c.* Toto itaque aberrant cœlo Galenici, dum ignoranter credunt, scientiæ suæ erroneæ perfectionem eò pervenisse, ut nil in ea corrigendum, nilque addendum, nec demendum testiterit. Si fidem nobis adhibere sibi dedecori habeant, & à conceptis superbis erroribus, ne latum deflectere unguem, & veriora sequi sibi grande nefas reputent, tacitè saltem consulant Antiquorum inventa, & cum hodiernis conferant, invenient reverà illa, quæ apertè confiteri renuunt.

Cum ergò hæc ita se habeant, quis fruge repertâ amplius vesceretur glandibus, prostantibus generosioribus & probatissimis remediis, genuinis, veris magnorum Morborum Antidotis, quæ hîc ut plurimum ex Neotericis, & propria etiam manu elaborata sine fucò delineavi, adjunctis & usu & applicatione ad singulos tum internos tum externos morbos. Ubi haud invitus profiteor, me ex aliorum multum profecisse laboribus, & veluti in alieno prato plurima perlustrasse, floribusque incumbendo mella delibasse.

Hinc

AD LECTOREM.

Hinc quot Lectores, tot Dædalos, non modò manus, sed & mentis sinceritate conspicuos exposco, non ignorans, ea, quæ scribuntur, haud plus obtinere virium, quam ab aliis, à quibus lecta & intellecta sunt, accipiuntur. Si verò Eruditiores videant, me ullibi è veritate abiisse, (in multis siquidem labimur omnes, præsertim in re Medica, quæ proh dolor! valde est Stochastica) corrigant ea & suppleant, quæ restant, vel horum loco Nobiliora substituunt, ego rependam, & sine gratiis comparere mihi religioni ducam, cum ipsè magis desiderem probata & vera magnorum morborum antidota, quam fortè alius.

Interea autem donec veriora suppeditentur, hisce abundantur nimium traditis acquiesco, qui aliàs cum *Ammanno* eandem foveo sententiam.

Quod Medicus, optimo iudicio præditus, bono Purgante, Confortante, & Diaphoretico instructus, quique reliqua, quæ ex arte de jure præstanda præstet, per DEI gratiam morbis omnibus, quantum quidem possibile, resistere possit. Ita, pergit, & ego in mea praxi hætenus processi, & adstante DEO semper bonum successum expertus fui. Interea cogimur interdum ea ordinare, quæ scimus, quod non juvent, & intermittere ea, quæ, quod juvent, non ignoramus:

sed

AD LECTOREM.

*sed hoc ita postulat malus mos & prava multo-
rum consuetudo, nisi à vetulis & Medicis, qui-
bus Galenismus adhuc profundè est irradicatus,
velimus nostram existimationem torqueri: In
Praxi enim hodierno seculo primas tenet opinio.
Interea tamen non fortunatus, vel omni expe-
rientiâ instructus subitò exclamandus est Me-
dicus ex agrorum multitudine, sed potius ex
Sanatorum copia: uti apprimè monet idem
citatus suprâ Excell. Ammannus in sua ad di-
scipulos Paranesi.*

Hisce vale, B. L. & qui bene sentis, eis in
proximi salutem utere, donec meliora, si
possibile, exhibere placeat: Quod si verò
quis sit, cui hæc non maturata satis appa-
reant, hisque acquiescere recuset, is ulte-
riori pyrotechniæ calore maturitate ea do-
net, vel poliat, aut curiosius distin-
guat. *Vale.*

MED
PRESENT
ACCOM
PARST

Præterea par
nisi & oculum per
invenit, cur

Conti